



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Thesavrvs Casvum Conscientiæ**

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

**Sayer, Gregory**

**Venetiis, 1627**

63 Impedimentum matrimonij probabiliter ignorans, an, & ad quid monendus sit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13903**

extra parochiam, vel territorium, vbi persona priuata habentur, exhibetur.

DECISIO LV.

Ex consil. 48. alias 7.

**Q**ui iureiurando mulieri dicit, vt illam ad se cum cumbendum inducat, non habeo aliam nisi te, vel promitto tibi me non aliam ducturum vxorem nisi te, aut aliam mulierem non ingressuram domum meam nisi te ipsam, nec in foro conscientiarum, aut in foro exteriori sponsalia cum illa contrahere censetur: Potest tamen iudex eum in foro exteriori compellere, & tenetur ipse ob deceptionem, & diffamationem ad matrimonium cum ea contrahendum, arg. l. vnica, §. fi. C. de rapr. virg. Pan. in c. ex parte, de sponsal. nisi mulier hanc obligationem illi remittere contenta fuerit, c. Præteres, de sponsal.

DECISIO LVI.

Ex consil. 49. alias 3.

**P**lebeius se Nobilem primogenitum, & diuitem fingendo, matrimonium cum Nobili puella ex illustri familia contrahebat, seruata forma in id necessaria per Concilium Tridentinum, sess. 24. ca. 1. de ref. matr. inducta; quamuis huiusmodi dolis vtendo peccat, quia tamen penitus in errorem personæ inducere non videtur, (qui solus ipso iure matrimonium annihilat, c. 1. 29. q. 1. & ait Nau. in Manual. c. 22. num. 32.) de rigore iuris matrimonium validum, nec regulariter separabile contraxisse censetur. Quia vero error talis, ad errorem personæ, & conditionem seruilem proximè accedit, & ex tali matrimonio multa scandala, & homicidia probabiliter sequi possunt, matrimonium tale si consummatum non fuerit, Papa iuste dissoluit. Glo. celebr. in ca. ex publico, de conuers. coniug.

DECISIO LVII.

Ex consil. 50. alias 29. de penit. & remis.

**Q**uando gratia a Papa in vtroque foro obtenta ad contrahendum matrimonium in aliquo gradu prohibito propter surreptionem occultam sit nulla, & impetrantes in Dataria solent compositionem soluere, non potest penitentiarius Maior sic contrahentes ad dictam compositionem solvendam cogere, si cognita postea surreptione de super dispenset; neque etiam aliquid sponte datum pro munere accipere; Eo quod Penitentiarius Maior vbique gratis expedire tenetur, prout in illius facultatibus exprimi solet; teneturque etiam in suis literis testari cas gratis vbique esse expeditas: Non dicitur autem gratis expediri, quoties aliquid per viam compositionis exigitur, quia exigitur ab inuito, est extorqueretur glo. in c. exigit de censibus in 6. verb. exigit.

DECISIO LVIII.

Ex consil. 51. alias 2. de refer.

**C**um in lege id videtur concessum, quod non inuenitur prohibutum cap. consulisti, 2. q. 5. & gl. c. 1. verbo inuenitur. de trans. prælat. dispensatio super impedimentum matrimonij obtenta valet, etiam si ad eam obtinendam quis nullum speciale mandatum acceperit. argum. l. quidam relegatus, ff. de reb. dubijs. gl. & Bal. in c. ad autes, de rescript.

DECISIO LIX.

Ex consil. 52. alias 4. de cland. despon.

**P**ræsentia parochi vnius contrahentium, vel alterius Sacerdotis de ipsius, vel ordinarij licentia, quæ ex Concil. Trident. sess. 24. cap. 1. de ref. matr. decreto ad matrimonium contrahendum requiritur, sufficit siue in vici, siue in femina parochia contrahatur ex Nau. in Man. c. 25. nu. 144.

DECISIO LX.

Ex consil. 53. alias 5. de cogn. spir.

**S**ponsi ante Concilium Trident. se carnaliter cognoscentes Sanimo, & affectu vxorio, & prolem suscipientes, quam in periculo mortis constitutam pater baptizat, verum ma-

trimonium contrahunt, nec aliquam ex tali baptismo pater cognationem quæ nocet, aut impedit vsum Matrimonij contrahit, ad limina, 30. q. 5. Quia per actum bonum in necessitate factum, matrimonio antea contracto præiudicari non debet: Sponsalia vero ante Trident. & postea in locis, in quibus non est publicatum aut receptum, per carnalem copulam vxorio affectu habitam, in verum Matrimonium transeunt: Qui vero in simili necessitate sumi, & fornicatæ suæ filium baptizat, cognationem spirituales impedimentum, & dirimentem Matrimonij contractum contrahit: c. 1. de cogn. spir. in 6. Diuersa etenim est ratio baptizantis filium suum ex vxore, & filium ex Concubina habitum eo, quod in priori casu agitur de non præiudicando matrimonio iam contracto, in posteriori vero agitur de non præiudicando contrahendo: ita vt baptizans in necessitate fornicarium filium includitur sub illa regula, nimirum quod inter baptizantem, & patrem, & matrem baptizati oritur cognatio impediens, & dirimens contractum matrimonij, ca. 1. de cogn. spir. in 6. quod impedimentum per Concilium Tridentinum, sess. 24. cap. 2. de refer. matr. non tollitur. Baptizans autem in tali necessitate filium suum ex vxore a tali impedimento contrahendo excusatur cap. Ad limina, 30. q. 1. & Nau. in Man. ca. 22. nu. 40.

DECISIO LXI.

Ex consil. 54. alias 16.

**P**arochus accersitus a volentibus matrimonium contrahere, & contrahentibus per verba de presenti coram parochio, & testibus, validum matrimonium contrahunt, quamuis parochus nihil dicat, vel etiam si dicat, Ego vos postea coniungam.

DECISIO LXII.

Ex consil. 1. in Nouis, deest in antiquis.

**M**atrimonij Sacramenti materia est consensus vtriusque, verba autem, vel signa, quibus illa idoneè exprimitur, forma ex Nau. in Man. c. 22. nu. 20.

DECISIO LXIII.

Ex consil. 13. in Nouis, deest in antiquis.

**I**mpedimentum Matrimonij probabiliter ignorans, etiam si monendus non sit quoad effectum vitandi peccatum, eo quod probabilis ignorantia excusata peccato, cap. 1. de consil. & ignorantia de reg. iur. in 6. & S. Tho. 1. 2. q. 6. ar. 3. ad effectum tamen, vt matrimonium valeat, & adepta dispensatione valide de nouo contrahi possit, aut non, admoneri debet, ita Nau. in Man. c. 22. nu. 47.

DECISIO LXIII.

Ex consil. 14. in Nouis, deest in antiquis.

**M**atrimonium in gradu prohibito contrahentes, si postea in notitiam impedimenti veniant, obtenta dispensatione, de nouo contrahere debent, alioquin matrimonium non est validum: Siquidem matrimonium, quod a principio fuit nullum, a potestate aliqua humana confirmari nequit; nisi consensus de nouo ex quo legitimum matrimonium, quod est Sacramentum, oriatur, post sublatum impedimentum, adueniat.

DECISIO LXV.

Ex consil. 15. in Nouis, deest in antiquis.

**Q**uamuis Sacramentalia, & Sacramenta, excepto baptismo in morte ab hæretico, vel schismatico se enter accipiens peccat; quia tamen benedictio nuptiarum, siue bene, siue malè ab hæretico accepta, vinculum essentialis matrimonij, nec auget, nec minuit, cum hoc indissolubile sit, ex Matt. 19. & c. quos Deus. 33. q. 2. a Sacerdotibus Græcis, hæreticis, & ritum Ecclesiæ Romanæ blasphemantibus benedictionem nuptialem accipientes, nec vxores relinquere possunt, & ad sic relictas, etiam si secundas duxerint federe tenentur, c. 1. & vlt. de sponsa. duorum.